Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 263
Quelle:
Copyright:

greſſu: *Lecturus Beati Marci ewangelium ut eius et autoris maior cognoſcatur auctoritas* &c Expoſito dein *Hieronymi* Prologo Textus ipſe ſic orditur: *Inicium ewangelij ihesu chriſti* &c. *Ewangelium ſecundum Marcum in duo diuiditur in prologum ſcilicet et tractatum* &c. Et finit: *et ſumma victoria omnisque debetur obedientia ihesu chriſte, qui in ſecula ſeculorum es benedictus.* Autor et hujus, et ſequentium Commentariorum, niſi ſit *Thomas* ſupra memoratus, non proditur.

II. *fol.* 181. *Prologus in Zachariam prophetam.* Cum Expoſitione videlicet ipſius Prophetae. Et prologus quidem prior deſumtus ex *Hieronymi* ad *Paulinum* Epiſtola: *Zacharias memor Domini ſui* &c. ita inchoat: *Iſte eſt prologus uel argumentum in Zachariam prophetam, pro quo ſciendum occurrit, quod argumentum dicitur quintupliciter* &c. Prologus alter: *In anno ſecundo Darij regis* &c. ut in *Bibl. gloſſatis*, ita: *Iſte eſt prologus ſecundus in Zachariam prophetam et diuiditur in duas partes principales, in quarum prima tanguntur quedam aggeo et Zacharie communia* &c. Ipſa Textus Expoſitio: *In menſe octauo* &c. *Iſta eſt prophecia Zacharie prophete et diuiditur ſecundum diuiſionem temporum* &c. Extrema ſunt: *et petrus de tarentaſia ſuper 4tum.*

III. *fol.* 224. *Sequitur prologus Malachie prophete.* Nempe e *Bibl. gloſſatis* ille: *Deus per Moyſen populo iſraeli preceperat* &c. cujus Expoſitio ita init: *In iſto prologo iuxta ea, que in prophetia dicuntur oſtenditur populi iſraelitici ingratitudo* &c. et Textus Expoſitio: *Onus verbi Domini ad Iſrael* &c. *Hic incipit prophetia Malachie prophete qui eſt duodecimus et vltimus in ordine* &c. Finis: *eius vultum preclariſſimum cum gaudio videre, quod nobis preſtare dignetur* &c.

IV. *fol.* 251. *Incipiunt Omelie Origenis ſuper Geneſin.* Traduxit eas jam exeunte Sec. IV. *Rufinus Aquilej.* neque dubium, eas pertinere ad *myſticas* illas, quarum Libros II. compoſitos ab *Origene* fuiſſe, teſtatur *Hieronymus* Ep. ad *Paulam* Edit. *Vallarſ.* T. I. *n.* 33. p. 151. Hodie non niſi XVII. ſuperſunt, quas habes in Edit. *Maur. Opp. Origenis* T. II. *Pariſ.* 1733. p. 52. f. Praeterquam, quod ultima in *Cod.* noſtro deeſt, reliquae multis locis conciſae, et quaſi in ἐπιτομην contractae ſunt, id, quod te vel *Primae* initium, ſi cum Editis compares, docebit. *In principio fecit Deus celum et terram. Non in aliquo temporali principio ſed in domino ihesu Dei filio fecit Deus non ſolum celum et terram, ſed et omnia per eum facta ſunt* &c. Quae κατα λεξιν cum Editis ut plurimum conſonant, ſunt ſingularum Perorationes. Inter *Homiliam* II. et III. nobis cubat prolixus Locus, qui quidem eandem de Noe, Diluvio et Arca materiam tractat, ut *Homilia* II. ſed neque in *Homiliis* editis, neque inter *Origenis Selecta in Geneſin* T. *cit.* p. 31. reperitur. Incipit: *Noe vero Anno ſexcenteſimo factum eſt diluuium,*